

3
4
5
6
7
8
9
10



DISPUTATIO JURIDICA.

39

DE

TUTELA ET CURA,

ad methodum Inst. J. Civ.

tractata.

QUAM

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO,

VIRI Consultissimi & Excellentissimi

DN. JOANNIS REBHAN, U. J. D.

ET INSTIT. IMP. PROF.

ORDIN. h. t. Colleg. Juridic.

DECANI.

PUBLICÈ examinandam proponit

HENRIC-CHRISTOPHORUS Stoll,

Gottingâ-Saxo.

In Auditorio Jctorum,

ad d. Octobr. ab 8. matutinâ.



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS REPPIL

ANNO M. DC. XLIII.

Leip. xx

1643, 6.



VIRIS

Nobilitate Spectatissimis,
Eruditione Excellentissimis,
Prudentia rerum gerendarum
Amplissimis.

DN. GEORG-ANDREÆ FABRICIO, M. & P. L. C.
Celeberrimi Gymnasij Göttingensis R E C T O R I gra-
vissimo & fidelissimo, Præceptori & Affini meo ob-
servandissimo.

DN. MAURITIO Kauscheplatt / Patritio & Civi Göt-
tingensi primario, Affini meo officiosè colendo.

DN. HIERONYMO Stoll / Perillustris & Generosiss.
Comitis ab Erpach & c. Præfecto in arce Wildenstein
dignissimo, Germano meo longè carissimo.

Dnn. Mecenatibus, studiorumque meorum
patronis ut certissimis ita meritissimis, hæc
Studij mei primitias in debitæ observantiæ
& gratitudinis monumentum L. M. Q.
dico, consecro

Henric-Christophorus Stoll/
Auth. & Resp.

DISPUTATIO JURIDICA.
DE
TUTELA ET CURA.

P R Æ F A T I O.



Uotusquisque est, qui velit discere, quod in foro usuque communi nullum habiturum sit locum? Ita; *Pauli Montani J.Cti nominatissimi* verba in *præfat. ad Tract. de Tutela & Cura*, mea faciens, meritò præoccupo omnia, sequiora forsàn, iudicia ista, quòd ingenij vires maluerim hoc in Juris articulo, tot interpretum commentariis detrito, periclitari potiùs, quàm reconditorem aliquem & à sensu communi remotiorem subtiliùs scrutari. Sanè diu versans quid valeant humeri quid ferre recusent, sufficiens mihi visum, hæc & alia, ab ipsa utilitate & frequentiori usu commendata, quotidieq; sua incrementa capeffentia, in Academia parare & addiscere, quibus aliquãdo, annuente Deo, in vitâ civili uti licuerit. Sit igitur

T H E S I S I.

TUTELA (a) est vis ac potestas (b) in capite libero (c) ad tuendum eum qui propter ætatem se ipse defendere nequit (d) Jure Civili data ac permessa. (e)

a) Quasi tutela, à tuendo dicta: sicut qui talem potestatem habent, appellantur tutores, quasi tutores atque defensores. §. 2. *Inst. de tutel. l. 1. §. 1. ff. eod.* Unde etiam simpliciter defensores dicuntur in l. 2. in f.

A

*in f. C. quand. mul. tut. offic. fung. l. 21. C. de administrat. tut. l. un. C. ubi per-
tut. quia Lex non vult eos esse tollitores & fures, sed defensores. l. 33.
ff. de furt. Dn. Obrecht. in disputat. de patroc. pupill. thes. 14. Etsi verò voca-
bulum tutelæ. I. In genere significat quodlibet tutamen & quam-
cunque tuitionem, sic tutela dicitur viæ reficiendæ. l. 30. ff. de leg. 2. tu-
tela balineæ. l. 35. §. ult. ff. de leg. 3. tutela juris publici. l. 14. C. de Iud.
& calic. tutela ædificiorum. l. 7. §. ult. ff. solut. matrim. tutela corporis.
l. 3. ff. de just. & jur. Montan. de tut. & cura. cap. 1. per tot. tamen II. In
specie eorum tantum hominum defensionem, qui se ipsos tueri & de-
fendere nequeunt, latinis auctoribus denotat, ita ut in latiori signifi-
catu comprehendat etiam curationem. Horat. 2. Satyr. 3. ad sanos abeat
tutela propinquos. fac. l. 5. C. de curat. fur. l. 1. l. 11. §. 2. ff. de minor. l. 9. §. 5. ff.
de tut. & rat. distrab. in paucissimis enim distant curatores à tutoribus.
l. 13. pr. ff. de excus. tut. strictè verò & propriè, tutelam tantum pupillo-
rum. C. l. A. 26. ff. 2. th. 2.*

b) *Wesenb. in parat. ff. de tut. num. 3. Treutler. 2. disputat. 8. thes. 6.
lit. b. Vultei. h. §. 1. num. 2. & alij, secuti Græcorum auctoritatem, qui
reddidère δίκαιον, ut Theoph. Harmenop. malunt legi: jus & potestas, quasi
dicatur iusta sive jure constituta potestas; haud malè, nisi §. 2. sequere-
tur: qui eam vim & potestatem habent. Rittershus. in comment. ad ll. 12.
Tabb. cl. 3. p. 1. cap. 11. Per vim autem atque potestatem hinc intelligitur
auctoritas, de qua est. t. t. Inst. & ff. de auctoritate tutorum, ac C. de auctor.
prest. Schneid. ad §. 1. Inst. de tutel. num. 2. & facultas sive potestas, non
violenta, quæ Accursij sententia jamdudum explosa, nec omnimoda, sed
ad tuendum concessa. Go. h. fr. ad l. 1. ff. de tut. lit. b. vid. Arumæus Exerc. 3.
quæst. 1. Iniquum enim esset, si datio tutoris, quæ est res favorabilis
& in favorem pupillorum introducta, in ipsorum injuriam & de-
trimentum retorqueretur; adjuvari quippe nos, non decipi benefi-
cio oportet. l. 17. §. 3. ff. commodati. nec verisimile est, patrem, cujus sum-
mus est in liberos affectus. l. ult. pr. C. de cur. fur. eos submittere velle
violentiæ & absolutæ extranei alicujus potestati: Et licet pater qui-
dam ἀσώπῳ & inveniretur, qui in liberos suos, corporis sui partes. l. 22.
in f. C. de agric. & cens. & carnem suam propriam novâ anima auctam
ita sævus esset; quia tamen patria potestas non in atrocitate sed in pie-
tate consistit. l. 5. ff. ad L. Pompej. de parricid. & violenta illa potestas, jus
scilicet vitæ & necis, quod olim pater in liberos habebat. l. 11. in fin. ff.
de liber. & post. l. f. C. de pat. pot. Bodin. 1. de Rep. 4. sublatum est per l. un. C.
de his qui par. vel lib. occid. l. 3. C. de pat. pot. & jus venditionis, quo olim
pater*

47.
pater filium in casu necessitatis vendere poterat. *l. ult. C. de patr. qui fil. distrax.* à moribus nostris recessit. *Vultej. ad pr. Inst. de pat. pot. n. 11. in f.* non est ut ejusmodi violenta potestas à patre in tutorem translata intelligi possit: nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet. *l. 4. ff. de R. I.*

c) In capite libero dicitur I. Per *antiptofin* pro in caput liberum hoc est pupillum. *Marci. ad §. 1. Inst. h. figuram* Jctis frequentiore; quod patet ex rubricà *ff. de impensis in rebus dotalibus factis*, pro in res dotalis factis, & infinitis locis aliis. II. Pro in homine libero: nam caput liberum pro homine libero veteres dicebant. *vid. Gell. lib. 5. Noct. Attic. c. 19. Montan. d. Tract. cap. 3. num. 28.* Ita, ut hæc verba, in capite libero, commodè & de tutore intelligi possint, & de pupillo: de tuto re, ut doceant, hominem in servili conditione constitutum non posse dari tutorem. *l. 7. C. qui dar. tut. poss. l. 22. ff. de test. tut.* De pupillo verò, ut significetur, tutores non dari iis, qui sunt in potestate patria. *l. 6. §. ult. ff. de tutel. l. 28. ff. de testam. milit. vel dominica. l. 13. pr. & l. 17. ff. de tut. & cur. dat.*

d) Id est, pupillum, qui sua sponte *l. 1. pr. ff. de tutel.* suo ingenio & consilio. *Gothofr. ad d. l. 1.* sibi præesse nequit. Et his verbis datur tutela & curæ I. *differentia*, quæ est, quod tutela tantùm detur propter ætatem. *§. 1. Inst. h. l. 3. §. 1. ff. h. t.* cura tela autem non solùm propter ætatem, sed etiam propter furorem aliaque vitia constituatur. *pr. & §. 2. & 4. Inst. de curat.* II. *Finis*, qui est, ne pupillus qui à civilibus officiis remotus est. *l. 2. §. 1. de R. I. nec actum rei intelligit. l. 5. eod.* quippe ejusmodi ætatis consilium fragile est & infirmum. *l. 1. ff. de minor. indefensus relinquatur. l. 30. ff. de admin. & peric. tut.*

e) Hac clausula innuitur tutelæ tùm causa efficiens, nimirum Jus Civile, id est, LL. XII. Tabb. Constitutiones, SCta, mores. *Vlpian. Inst. t. 11. §. 2.* quòd scilicet aliæ gentes præter cives Romanos ejus usum non habeant. tùm species, in verbis *data ac permissa*; data enim tutelam legitimam, permissa verò testamentariam & dativam tutelam innuit, *secundum Gothofred. ad l. 1. ff. de tutel. lit. l.* quòd illa detur Lege; hæc dari permittatur parentibus ac Magistratibus. *Wesemb. ad §. 1. Inst. de tutel. n. 3. & 4. & parat. ff. eod. n. 4.*

Tutela est vel testamentaria, vel legitima, vel dativa.

Hæc divisio fundatur in l. 52. C. de Episc. & Cleric. l. 13. pr. ff. de excus. tut. l. 4. C. qui dare tut. l. ult. C. de legit. tut. ibi: vel dativi vel legitimi tutores fiant. l. 7. ff. rem pup. vel adult. salv. fore. l. 14. §. 5. ff. de solut.

III.

TESTAMENTARIA (a) tutela est, quâ pater (b) liberis suis impuberibus in potestate existentibus (c) testamento (d) dat tutorem. (e)

a) Testamentariam primo loco ponimus, quia omnium est præstantissima, utpotè cui legitima cedit. l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distrah. & quandiu illa speratur, cessat. l. 11. pr. ff. de test. tut. Pater enim ex paterna affectione optimè prospicit liberis. l. 3. §. 1. ff. de adm. & peric. tut. & saluberrimum pro illis consilium capit. l. 22. §. f. ff. ad L. lul. de adulter. qui ipsi se defendere nequeunt. §. 1. l. de tutel. l. 1. pr. ff. eod. neque quid utile sit, sciunt, l. 12. C. de repudiis. N. 22. c. 19. utpotè parentibus destituti. l. 32. C. de Episc. & Cleric. & iudicio animi. §. 1. l. quib. non est perm. fac. test. l. 22. §. 2. ff. de iudic.

b) Non etiam mater. l. 4. ff. & C. de test. tut. l. 1. §. 1. & l. 2. ff. de confirm. tut. nisi liberi ab ea fuerint simul instituti heredes. d. l. 4. ff. & C. de test. tut. Tutela enim datur liberis in potestate existentibus. §. 3. l. de tut. l. 1. pr. ff. de test. tut. l. 2. ff. de vulg. & pupill. subst. l. 73. §. 1. de R. I. fœminæ autem in potestate liberos non habent. §. 3. Inst. de hered. qual. & differ. §. 10. Inst. de adopt. Verùm tutor datus pupillo à matre in testamento, in quo ipsum instituit heredem, confirmatur à Magistratu cum inquisitione. l. 4. ff. & C. de test. tut. l. 2. ff. de confirm. tut. Et talis tutor, ut & generaliter quivis alius testamento non rectè datus & à Iudice confirmatus, partim dativus est, partim testamentarius. C. l. A. de confir. tut. ehes. ult. vid. Gædd. ad l. 130. de V. S. & in tali concursu Magistratus & testatoris respiciendum puto ad illum, qui plus confert, ut æstimare possimus, an testamentarius sit magis, an verò dativus?

c) His

c) His verbis proponitur objectum tutelæ testamentariæ, & ostenditur conditio eorum, quibus testamento dari tutor potest, quòd scilicet necesse sit, ut illi sint. I. *Liberi*, id est, filius filia omnimodò. §. 3. *Inst. de tutel. l. 1. pr. ff. de test. tut.* nepotes verò & neptes, ita demum, si post mortem avi non sunt recusari in potestatem sui patris. d. §. 3. & d. l. 1. §. 1. postumi quoque, si vivis parentibus sui nascerentur heredes. §. 4. *Inst. de tutel. §. ult. Inst. qui test. tut. dar. post. l. 5. ff. de test. tut.* nemo enim potest cuiquam dare tutorem, nisi ei, quem in suis heredibus cùm moritur, habuit, habiturusve fuisset, si vixisset. l. 73 §. 1. *ff. de R. l.* II. In potestate existentes, non emancipati. §. *ult. Inst. de tutel.* hujusmodi tamen tutor datus, scilicet liberis emancipatis à patre, confirmatur ex sententia præsidis omnimodò, id est, sine inquisitione. d. §. *ult. Inst. de tutel. l. 4. ff. de test. tut. l. 1. §. 1. & 2. ff. de confir. tut.* sufficit enim, si constat, patrem eum dare voluisse. l. 8. & 10. *ff. eod.* secus est in tutore ab extraneo dato: is enim confirmatur cum inquisitione l. 2. *ff. de confir. tut. junct. l. 32. vers. similis. ff. de excusat.* III. *Impuberes*; in quibus vis patriæ potestatis etiam post mortem patris durat. l. 1. *ff. de test. tut. l. 2. ff. de vulg. & pupill. subst.* idque ex L. XII. *Tabb.* uti quisque legasset super pecunia tutelæve rei suæ, ita jus esto. *Vlpian. tit. 11. §. 3.* & quibus tantùm quandiu sunt impuberes, tutores dantur. §. 6. l. *de curator.* Puberibus verò factis curatores. *pr. l. de curator.*

d) Justo scilicet & perfecto: Non enim valet datio tutoris facta in testamento I. Injusto. l. 2. & 3. *C. de confir. tut.* II. Rupto. l. 31. *ff. de test. tut.* III. Irrito factò, veluti si nemo hereditatem adierit. l. 9. & 10. *pr. ff. eod.* IV. Rescisso per querelam inofficiosi; pendente tamen lite alius interim tutor à Magistratu datur, & eventus docebit, an sit testamentarius, an verò dativus. l. 26 §. *ult. ff. eod.* V. Pupilli nomine falso dicto, quo casu etiam interim tutor à Magistratu datur. l. 27. *pr. ff. eod.* VI. Ex quo tutor institutus est heres, pupillo exheredato. l. 26. §. 2. *ff. eod.* VII. Falso dicto, tutore scripto herede. l. 27. *pr. ff. eod.* cùm non possit esse auctor pupillo in lite contra ipsum agenda. §. *ult. Inst. de auth. tut.* VIII. Quo semel datus postea vetatur tutor esse. l. 8. *ff. pr. de test. tut. l. 2. C. eod. C. I. A. de tutel. thes. 7.* Et hìc notandum est, quòd non solùm testamento tutor dari possit, sed etiam codicillis testamento confirmatis. l. 3. *ff. de test. tut.* quia, ipsi sunt testamenti pars. l. 14. *pr. ff. de jur. codicill. & sequela. l. 16. in f. eod.* Datus autem tutor codicillis testamento non confirmatis, confirmatur à Judice, ut minus solenniter datus, l. 3. *ff. de confir. tut.*

A 3

e) Sed

e) Sed hinc necesse est, ut hujusmodi & quivis alius tutor sit.
I. Homo liber, non servus. *l. 7. C. qui dar. tut. poss. l. 22. ff. de test. tut.*
II. Perfectæ ætatis, annos 25. habens completos. §. 2. *Inst. qui test. tut. dar. poss. l. ult. C. de legit. tut. §. 13. Inst. de excus. tut. §. ult. Inst. de fiduc. tut. ut scilicet naturalis ordo per omnia conservetur; quæ enim ista foret nominum & rerum fæda confusio, eundem esse tutorem & sub tutela constitui; eundem esse curatorem & sub cura agere. l. ult. C. de legit. tut. Vel III. Lege aliàs non prohibitus, ut milites. §. 4. *Inst. de excus. tut. debitorum, creditores, &c. de quibus vid. infra thes. nostra 20. lit. e.*
Cæterùm non necesse est, ut pater det tutorem perpetuum, id est, ad pubertatem usque pupilli, donec in suam veniat tutelam; sed potest etiam dare temporarium, nempe I. Ad certum tempus; veluti ut ad annum vel biennium tantùm tutor sit. §. 3. *Inst. qui test. tut. dar. poss. l. 8. §. 2. ff. de test. tut.* & elapso isto tempore tutela finiatur. §. 5. *Inst. quib. mod. tut. fin.* II. Ex certo tempore; veluti à Calend. Augusti. §. 3. *Inst. qui test. tut. dar. poss. l. 8. §. 2. ff. de test. tut.* qualis tutor ante id tempus non administrat; sed alius interim datur, cujus officium adveniente die expirat. *l. 11. pr. ff. de test. tut. §. 1. Inst. de Attil. tut.* III. Sub conditione; veluti si navis ex Asia venerit. §. 3. *Inst. qui test. tut. dar. poss. l. 8. §. 2. ff. de test. tut.* & medio tempore alius datur tutor à Judice. *l. 11. pr. ff. de test. tut. §. 1. Inst. de Attil. tut.* & deficiente planè conditione tutor non erit. *l. 8. §. 1. ff. de test. tut.* Modus enim dandi tutores ex testamento, est planè singularis & ferè contra juris rationem, quia (ut loquamur cum Ioh. Ramo hinc) tantus est tum pupillorum ne sint indefensi, tum affectionis paternæ favor, ut in eo omnes juris communis regulæ adquiescant & cessent. Non enim talis temporaria vel conditionalis datio procedit in servitutibus. *l. 4. ff. de servitut. vel obligationibus aut legatis. l. 44. §. 1. ff. de obl. & act. nec in tutela dativa. l. 4. §. 1. ff. de tut.* quia illa est actus legitimus, qui per temporis vel conditionis adjectionem in totum vitiatur. *l. 77. de R. I.* Etsi Judex sub conditione vel ex certo tempore daret tutorem, nullus omninò esset, qui istum suppleret defectum, damnosumque id esset impuberi; testator autem licet ita dederit, tamen Judex ex officio pendente conditione alium potest substituere tutorem quasi vicarium, ne pupillus maneat indefensus. Sic nec talis datio in tutela legitima obtinet; quia lex perpetuò & simpliciter operatur.*

Dari

Dari tutor potest testamento non solum paterfamiliâs, sed etiam filiusf. (a): item servus proprius vel alienus (b) minor 25. annis & furiosus. (c)

a) *pr. Inst. qui test. tut. dar. poss.* De paterfam. libero scilicet, perfectæ ætatis, sanæ mentis, & ll. tutelam suscipere non prohibito non potest dubitari: de filiofam. non negari: tum ob utilitatem publicam; quod scilicet expediat Reipub. plures esse qui honores gerere & tutelas obire possint. *arg. l. 8. ff. de muner. & honor. tum ob jus; quia sc. tutela munus publicum est. pr. Inst. de excus. tut. l. 9. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. & in publicis causis filiusfam. loco patrisfam. habetur. d. l. 9.* Et filiofam. tutore facto, pater si non consenserit, tenetur de peculio; si consenserit, in solidum. *l. 7. ff. de tutel. l. 21 ff. de adm. & peric. tut. tum demum autem, inquit Faber, censetur pater consensisse filio in tutela administranda, si actus aliquis appareat, per quem agnitionis consensus probari deprehendique possit.*

b) Ille cum libertate; idque vel expressè, hoc modo: *Stichus servus meus liber & tutor esto. § 1. Inst. qui test. tut. dar. poss.* vel tacitè hoc modo: *Stichus servus meus tutor esto: sic enim libertatem tacitè videtur accepisse. d. § 1. l. 32 §. 2. ff. de test. tut. & quidem directam. § 1. Inst. qui test. tut. dar. poss.* nihil enim aliud testatorem sensisse. quam ut statim liber & tutor sit, ex verbis his: *tutor esto*, evidenter apparet. Hic verò sub conditione, *si liber erit. § 1. Inst. qui test. tut. dar. poss. l. 10. §. 4. ff. de test. tut.* Ut enim sine libertate tutor esse nequit *l. 7. C. qui dar. tut. poss.* Ita nemo servo alieno directam libertatem dare potest. *l. 49. pr. ff. de hered. instit. ne cuiquam jus suum auferatur. §. ult. vers. cuius rescript. Inst. de his qui sui vel al. jur.* Causa autem quod servi ita dari possint & ad hoc munus admittantur, est, quod in tutela administranda non conditio aut fortuna hominis, sed fides & integritas perpendenda sit. *Myns. ad pr. Inst. qui test. tut. dar. poss. n. 5.*

c) Hoc modo: cum compos mentis aut major 25. annis factus fuerit. *§. 2. Inst. qui test. tut. dar. poss. l. 10. §. 3. ff. de test. tut. l. 11 ff. de tutel. impedimenti enim causa cessante cessat & ipsum impedimentum. arg.*

l. 79. §. pen. & ult. ff. de leg. 3. Medio autem tempore, quandiu minoritas & furor durat, tutor à Judice datur. §. 1. Inst. de Attil. tut. l. 11. pr. ff. de test. tut. non verò admittitur legitimus; quia quandiu tutela testamentaria speratur, legitima cessat. d. l. 11. pr.

V.

LEGITIMA (a) tutela est, quam sola Lex (b) successoribus pupilli proximis defert. (c)

a) Legitima absolutè dicitur & quasi per excellentiam, quòd ex lege descendat; sicuti legitima hereditas. l. 130. de V. S. legitimi enim tutores sunt, quos ipsa Lex tutores facit. Vlp. Inst. t. 11. §. 2. l. 8. ff. de hered. pet. pr. Inst. de legit. agn. tut.

b) Intelligitur Lex XII Tab. l. 1. pr. ff. de legit. tut. Vlpian. Inst. 2. 11. §. 2. legitimos enim tutores nemo dat, sed lex defert hanc tutelam immediatè sine factò seu datione hominis, testatoris scil. sive Magistratus. l. 5. pr. ff. de legit. tut.

c) Tum propter sanguinis conjunctionem, de qua, quia devincit charitate homines. Cic. lib. 1. Offic. lex multum confidere solet. Bartol. ad l. 3. §. si parens. de legit. tut. & quæ facit cessare tutelæ malè administrandæ præsumptionem: Tum propter successionis emolumentum; quia æquum est, ut qui sperant successionem pupilli, iidem etiam habeant onus tutelæ. in f. Inst. de legit. patr. tut. & tueantur bona pupilli, ne dilapidentur. l. 1. pr. ff. de legit. tut. siquidem secundum naturam est, ut commoda cujusque rei eum sequantur, quem sequuntur incommoda. l. 10. de R. I. & is sentiat onus, qui sentit commodum. c. qui sentit. de R. I. in 6.

VI.

Legitima tutela est, vel Agnatorum, vel Patronorum, vel Parentum, vel Fiduciaria seu fratrum.

Hæc divisio colligi potest ex rubr. tit. Inst. de legit. agn. tut. de legit. patr. tut. de legit. parent. tut. de Fiduc. tut.

Aгна-

AGNATORIUM (a) legitima tutela est,
quam L. XII. Tabb. (b) ad agnatos (c) pro-
ximos (d) defert. (e)

a) Legitima tutela post testamentariam ponitur, quia semper testamentariae cedit. l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distrab. & quandiu illi locus esse potest, cessat. l. 11. pr. ff. de test. tut. Et hæc agnatorum tutela locum tantum habet intestato parente mortuo. l. 6. ff. de legit. tut. non ἀπλῶς, si omnino non fecit testamentum. l. 64. de V.S. sed καλῶς, si quantum ad tutelam pertinet intestatus est. l. 6. ff. de legit. tut. §. 2. inst. de legit. agn. tut. aut si tutor testamento datus, ante testatorem, filio adhuc impubere, decessit. d. §. 2. & l. 6. & l. 11. §. pen. ff. de test. tut. Rittershus. in comm. ad ll. 12. Tab. d. c. 12. aut vivit quidem, sed tutor esse non potest aut non vult & se excusat, vel tanquam suspectus removetur. arg. l. 11. in f. pr. ff. de test. tut. pr. h.

b) Et hæc tutela defertur ipsis legis verbis & mente; quæ Marcil in comm. ad ll. 12. Tabb. c. 28. divinatur hæc fuisse: si intestatus moritur, cui impubes suus exstabit heres, agnatorum gentiliumq; tutela esto. Conferatur Cujac. 10. obs. 11. Iacobus Gothofr. in comm. ad ll. 12. Tabb. c. 5. non autem defertur sola mente, ut tutela patronorum; hanc enim differentiam ponit Bartolus l. 3. §. f. ff. de legit. tut. inter has quatuor legitimas tutelas: Legitima, inquit, agnatorum tutela patet ex verbis & mente L. 12. Tabb. Legitima patronorum ex mente & voluntate legis colligitur; Legitima parentum ex similitudine ejus quæ est patronorum, & plane ex ipsa extensione propter rationis identitatem. Fiduciaria neq; ex verbis, neq; ex mente, neque ex aliqua extensione, sed à legislatore introducta est propter sanguinis conjunctionem.

c) Per virilis sexus cognationem conjunctos, quasi à patre cognatos. §. 1. inst. de legit. agn. tut. §. 1. inst. de legit. agn. success. l. 7. ff. de legit. tut. Getman. Väteren / Schwerdmagen / qui easdem imagines & insignia habent, die eines Namens / Geschlechts / Schild vñ Helms seind. Non autem ad cognatos in specie ita dictos: Hi enim olim uti exclusi erant à successione ab intestato, & soli agnati admittebantur. i. inst. de hered. quæ ab intest. def. & i. inst. de legit. agn. success. ita etiam à tutela hac immunes erant, & ea ad solos agnatos proximos deferebatur. l. 73. de

B

R.I. ut



R. i. ut qui sperarent successionem pupilli, iidem etiam tuerentur bona eius, ne dilapidarentur. *l. 1. pr. ff. de legit. tut.* Sanè cognatorum appellatio aliàs generalis est, & generaliter Cognati dicuntur, qui vel per mares conjunguntur sive jure naturali sive civili, quo in significatu etiam Agnati cognatorum nomine veniunt. vel per fœminas, & appellantur Cognati in specie, *Speillmagen / die vns vñ der Spindel verwand sind.* Jure verò Novellarum, discrimen hoc inter agnatos & cognatos est sublatum, & non minus cognati quàm agnati ad tutelam vocantur. *Nov. 118. c. 4. & 5. & Auth. sicut. C. de legit. tut.* Hic probè notandum est, quòd jure novissimo mater & avia in tutela liberorum non solum legitimorum, *l. 2. cum Auth. seq. C. quand. mul. tut. offic. fung.* sed etiam naturalium. *l. f. & Auth. ad hac. in f. C. eod. suscipiendâ, cæteris agnatis præferantur;* si eadem, quæ aliàs plerumque novis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt, *l. 32 vers. servi etiam. C. de admin. tut. secundis nuptiis & SC. Vellejano renunciaverint. Auth. Matri. C. quand. mul. tut. offic. fung. Nov. 118. c. 5.* Consentit etiam Jus Saxonicum, ut usus fori ostendit & docet *Zobel. in addit. ad Landr. Chf. lib. 1. art. 23. Schrader. Tract. Feud. part. 10. sect. 19. n. 30.*

d) Solos scilicet, remotis cæteris remotioribus *§ ult. inst. de cap. dim.* Si verò eodem gradu plures sint agnati, omnes tutelam nanciscuntur. *§ ult. inst. de cap. dim. l. 9. ff. de legit. tut.* Sed, quia sæpè perniciosa solet esse administrantium multitudo, & faciliùs unus tutor actiones exercet & excipit. *l. 3. §. 6. ff. de admin. & peric. tut.* unus aut duo vel plures ex multitudine communi cæterorum periculo, præficiuntur tutelæ. *Auth. sicut. C. de legit. tut.* Concordat etiam Jus Saxon *lib. 1. art. 23. & Weichbild. art. 49.* ubi dicitur: *Der nächste ebenbürtige Schwermagen ist Vormund, vñd ist Er selbst zu seinen Jahren nicht kommen / so soll sein Helffer sein ein ander sein ebenbürtige Schwermagen / vñd soll als lange Vormund sein / biß die Kinder zu ihren Jahren kommen / oder biß das ihr rechter Vormund ihnen vorstehen mag.*

e) Hæc legitima Agnatorum tutela hodiè tantùm usitata est inter Principes Electores, ex *A. B. Caroli IV. cap. 7. rubr. von der Churfürsten Nachkomm'n. vers. Ob ein Churfürst &c.* Et hoc adeò verum est, ut jus istud proximo agnato testamento auferri nequeat. *vid. Hoen. lib. 1. disputat. 3. contr. 6. Gædd. ad l. 120. in f. de V. S. Treutler. volum. 2. disput. 8. thes. 3. lit. a. in f.*

Patro.

Patronorum tutela est tutela legitima, quam L. 12. Tabb. defert (a) patronis eorumque liberis (b) ut sint suorum libertorum libertarumve adhuc impuberū tutores. (c)

a) Non quidem propalā, ut loquitur *Ulpian. l. 11. §. 2.* id est, difertis verbis, aut specialiter vel nominatim. *pr. inst. de legit. patron. tut.* sed per consequentiam successionis ex ipsa lege patrono delatæ, ut idem loquitur in *l. 3. pr. ff. de legit. tut.* sive per interpretationem legis & præsumptam ejus voluntatem: quæ quidem voluit hereditates libertorum libertarumve si intestatæ decesserint, pertinere ad patronos & liberos ejus. *l. inst. de legit. patr. tut.* tutelæ verò impuberis nullam fecit mentionem. *Rittershus. in d. comm. ad l. 12. Tabb. d. c. 12.*

b) Hic notandum, quod hæc tutela regulariter deferatur patronis ipsis; ipsorum verò liberis tum demum, si parentes decesserint. *l. 3. §. 6. ff. de legit. tut.* Nunquam autem deferatur ad patronas. *l. 3. §. 4. ff. eod.* Quod etiam de omnibus feminis verum est, ut regulariter tutrices esse nequeant. *l. ff. de tutel. l. Quia tutela munus masculorum est. d. l. f. & virile officium. l. 16. ff. eod. l. 1. C. quand. mul. tut. offic. fung. & ultra sexum femineæ infirmitatis officium ejus administratio. d. l. 1. C. quand. mul. tut. offic. fung. II.* Quia munus publicum est. *pr. inst. de excus. tut. & femineæ ab officiis publicis. l. 2. de R. l. virilibus. l. 1. §. 5. ff. de postul. l. 12. ff. de edend. & civilibus. d. l. 2. de R. l. l. 12. §. 2. ff. de judic. l. 1. §. 1. & l. 2. §. 1. ff. ad SC. Vellei.* remotæ sunt. Ideò autem dixi regulariter, quia excipiuntur mater & avia, quæ tutrices esse possunt liberorum suorum, si secundis nuptiis & SC. Vellejano renunciaverint; ut modò fuit dictum in *th. nostra præcel. lit. c. in f.*

c) Et hoc quandoque etiam extenditur ad liberos libertorum, de quo vid. *Cujac. 20. observ. 24.* Modernis nostris moribus legitima hæc patronorum tutela evanuit; Cui videtur successisse legitima domini feudalis seu senioris tutela, quando scilicet pupillus vasallus neque testamentarium tutorem habet, neque confirmatum, neque agnatos in feudo jus habentes, & mater atque avia tutelam non suscipiunt: tum enim vasalli impuberis tutela jure meritoque ad dominum feudi

B 2

defer.

defertur, cum bonum sit argumentum à liberto ad vasallum, à patrono ad dominum feudi. *Everhard. in top. leg. loc. 25. à liberto ad vasallum. vid. C. I. A. de legit. tut. thes. 11. & ibi alleg. Dd. quod etiam procedere volunt Dd. licet impubes vasallus in bonis allodialibus, quæ habet præter bona feudalia, tutorem sive legitimum sive dativum habeat. Schrad. Tract. Feud. part. 10. sect. 10. n. 71.*

I-X.

Parentum tutela est tutela legitima, quæ parenti liberorum impuberum emancipatorum defertur.

Hæc tutela dicta est legitima, non quod ex verbis legis veniat, sed quia moribus receptum est, ut legitima vocetur; cum legitima tutela etiam moribus inducatur. *Vlpian. tit. 11. §. 1. Origo hujus tutelæ fuit, quod olim quando pater emancipabat filium, tollebatur jus agnationis & familiæ, hereditatesq; legitimæ evertentur. l. 7. pr. ff. de cap. dimin. nec pater ad emancipati filii tutelam admittebatur. l. 1. ff. si à par. quis manumiss. Si verò contracta fiducia eum emancipabat, tunc ex lege illius contractus, ad successionem vocabatur parens, & fiebat filii emancipati Tutor fiduciarius. §. f. inst. de legit. agnat. success. Postea verò cum omnis emancipatio, quæ fit à parente, ex constit. Imper. Justin. censebatur facta esse contracta fiducia. d. §. f. inst. de legit. agnat. success. l. ult. C. de emancipat. liberor. hæc etiam tutela patri oblata dicta est legitima. pr. inst. de fiduc. tut. pr. inst. de leg. par. tut. paterque, exemplo patronorum d. pr. inst. de legit. par. tut. propter parem causam, successionis scilicet emolumentum. §. ult. inst. de legit. agn. success. l. 10. ff. de suis & legit. hered. meritò vicem legitimi tutoris sustinet. l. 3. §. 10. ff. de legit. tut. Jure verò novissimo quia tam emancipati quam in potestate existentes absque respectu emancipationis succedunt. Nov. 118. cap. 2. & 4. idè hæc tutela ratione emancipationis ab usu recessit.*

X.

Fiduciaria (a) tutela est tutela legitima, quæ fratribus in fratres, vel sorores, vel nepotes, vel neptes, vel cæteros impuberes à patre vel avo emancipatos (b) defertur.

a) Ita

a) Ita appellatur *rubr. & pr. inst. de fiduc. tut.* & ejus tutores dicuntur fiduciarij. *l. 4. ff. de legit. tut.* quasi tutores fiduciae sive emancipationis, quæ lege remanicipationis & consequenter successionis, constabat, quod jus pater emancipator ad filios trans mittebat. *Suthold. disp. inst. 3. thes. 27. §. 9. inst. quib. mod. jus pat. pot. sol. §. ult. inst. de legit. agnat. success.* Quamvis & quidam à fiducia, quam jus de his personis habet, quibus eam tutelam defert, quod rebus pupillorum optimè consulturi sint, eam dictam velint. Sicuti dicitur fiduciarus heres. *l. 46. pr. l. 67. in f. ff. ad SC. Trebell. fiduciaria hereditas. d. l. 46. Duaren. Donell. Angel. & alij.* Hodie verò etiam inter legitimas rectè numeratur, postquam novo jure fratres in emancipatorum fratrum successionem vocantur. *l. f. §. 1. C. de legit. hered. uti etiam legitima vocatur in l. 4. C. de legit. hered.*

b) Non sub patriâ potestate ad mortem usque patris constitutos; sic enim frater major non erit fratris impuberis tutor fiduciarus, sed legitimus, utpotè agnatus; quod jus agnationis in emancipato est extinctum. *l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distrab.* Nostris moribus tutelæ hujus fiduciariæ usus non est, quia per emancipationem jus agnationis hodie non perimitur, & Jure Novellarum differentia inter agnatos & cognatos quo ad tutelam est sublata. *Nov. 118. c. 4. & 5.*

XI.

DATIVA (a) tutela est, quæ testamentariis & legitimis tutoribus non extantibus (b) ad petitionem matris vel proximorum cōsanguineorum (c) à Magistratu cui id jure concessum est (d) datur ex inquisitione. (e)

a) Tutores vocantur etiam Attiliani. *rubr. inst. de Attil. tut.* à L. Attilio Tribuno Pl. qui primus de tali tutore dando plebiscitum tulit. Item ex inquisitione dati. *l. 14. §. 5. ff. de solut.*

b) His enim extantibus, si Judex det tutorem, datio nullius est momenti, ut loquitur *l. 9. C. qui dari tut. vel. cur. poss.* Tutores enim testamentarij primas sibi vendicant, post hos legitimi admittantur: utrisque tandem deficientibus, dativis locus est; licet interdum etiam dativus tutor detur, legitimo excluso, quando scilicet testamento tu-

B 3

tore

tor ex die vel sub conditione datur, vel hereditas nondum adita est, & ita testamentarius adhuc speratur. §. 1. *inst. de Attil. tut. l. 11. pr. ff. de test. tut.* si enim nemo hereditatem adit, nihil valet ex his quæ scripta sunt in testamento. *l. 9. ff. de test. tut.* Regulariter autem tutor dativus tum demum datur, quando nullus omninò tutor est alius. *pr. inst. de Attil. tut.* vel testamentum quo tutor datus est, falsi. *l. 27. pr. ff. de test. tut.* vel inofficiosi arguitur. *l. 26. §. ult. ff. cod.* vel Testamentarius tutor nondum potest suscipere tutelam, ut si conditio vel dies ex quo datus erat, nondum extiterit. §. 1. *inst. de Attil. tut. l. 10. pr. & l. 11. pr. ff. de test. tut.* vel appellat aut abest. *l. 2. ff. de tutor. & cur. dat. l. 17. §. 1. ff. de appell. & re. lat.* Item si tutor testamentarius vel legitimus sit excusatus. *l. 11. §. 1. ff. de test. tut.* vel ut suspectus remotus. *l. 2. C. de tut. vel cur. qui sat non ded. l. 4. C. in quib. cas. tut. hab. vel nondum perfectæ ætatis. l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distr. l. 10. §. 7. ff. de excus. vel ab hostibus captus. §. 2. inst. de Attil. tut.* Item si pupillo libertas vel hereditas per fideicommissum relicta sit, & institutus adire nolit. *l. 13. pr. ff. de tut. & curat. dat.*

c) Et hîc sanè dissimilis est petentium conditio: quibusdam enim necesse est petere tutores, ut matri & libertis; alij sua spontè petunt, ut affines. *l. 2. §. 1. ff. qui pet. tut. vel cur.* Et si mater vel quicumque sunt alij in proxima spe succedendi pupillo, cessent petere tutorem, & pupillus m̄oriatur, tum ab ejus successione excluduntur. *l. 2. ff. qui pet. tut. vel cur. l. f. C. eod.* Liberti verò si non petant, subeunt periculum deserti obsequij, & in servitutem revocantur. *l. 2. & ibi Gl. C. qui pet. tut. vel cur.* Qui autem non sunt in proxima spe succedendi pupillo, ut affines, extantibus cognatis nullâ pœna ad petendum tutorem coguntur, sed solius honestatis ratione ab illis expetitur. *l. 2. ff. qui pet. tut. vel cur.* Nemine verò petente tutorem, Judex etiam dare potest. *arg. l. f. ff. de offic. ejus cur. m̄. ind. est jurisdict. l. 1. pr. ff. de admin. & peric. tut. l. 6. C. qui dar. tut. vel cur. poss. imò debet.* Pollicenordnung de anno 1548. & 1577. rubr. 31. ibi: *Ernstlich aufferlegt, Schrader. tract. Feud. part. 10. sect. 20. n. 10.*

d) Olim non vi jurisdictionis, aut Jure Magistratus, hoc est, omni Magistratui licebat dare tutores, sed tantùm illis, quibus id jure concessum erat, ut Romæ Prætori Urbano, in provinciis verò Præsidibus vid. §. 4. & 5. *inst. de Attil. tut. Coras. 5. miscell. 24. Donell. 3. comm. 7. & 17. comm. 8 & ibi Hillig. Bachov. ff. 2. cap. prima divisio jurisdict. num. 6.* Hodie verò nostris moribus Judex loci & quilibet competens Magistratus pupillis tutores constituere potest, quantumvis magnæ sint pupillæ

47.

pupilli facultates. *Ordin. Polit. de anno 1548. T. 31. & de anno 1577. Harprecht. disput. 7. thes. 9. Schneidevv. ad §. 5. inst. de Attil. tut. n. 4. Treutler. vol. 2. disput. 8. thes. 4. lit. A. Wurmbser 1. cit. 58 observ. 9. locus tamen ex quo pupillus oriundus est, & ubi domicilium habet & facultates, sunt inspicienda. l. 1. §. ult. l. 3. & l. 27. ff. de tut. & cur. dat. l. 5. C. qui dare tut. vel cur. poss. l. un. C. qui pet. tut.*

e) Hæc inquisitio occupata erat 1. circa mores. 2. facultates. 3. modum petendi tutelam, & an se ingessisset vel pecuniâ tutelam redemisset: qui enim se ultrò rei alienæ ingerit, suspectus est. l. 25. ff. de procurat. & longè magis qui tutelam pecuniâ ambit. l. 21. in f. ff. de tut. & cur. dat. ab his & c. Et inquisitionis hujus modum elegantem, tradit Hermogenianus in l. 7. §. 1. ff. de confirm. tut. Si quærat, inquit, an ex inquisitione rectè datus sit tutor, quatuor hæc consideranda sunt: an hic dederit, qui dare potuit; & ille acceperit, cui fuerat dandus; & is datus, cujus dandi facultas erat; & pro tribunali decretum interpositum. *add. l. 1. ff. eod.* Nostris moribus ita proceditur, ut l. tutori vel curatori administratio tutelæ injungatur decreto Magistratus. I. Inventarium ein Fundbuch conficiatur omnium bonorum pupilli & minoris, idque coram Notario & testibus. III. Cautio præstetur, si ve datis fidejussoribus, si ve sub hypotheca omnium bonorum. *Vid. Policenord. de an. 1548. & 1577. sub tit. von pupillen vnd minderjähri gen Kindern Tutoren vnd Vormündern. ibi: daß auch ein jeglicher Vormund. & §. item, daß Er. ibi: vnd rechtmäßige anuqsame caution vnd versicherung thue. Schneidevv. ad pr. inst. de legit. tut. n. 13. & seqq. C. I. A. de admin. & peric. tut. th. 23. & 10.* IV. Juretur, omnia ex utilitate pupilli actum, quotannis rationes administrationis redditum, & finitâ tutela vel cura omnia bona restitutum iri. *dd. ll. PolicenOrd.*

XII.

Effectus tutelæ potissimùm in Authoritate consistit. Auctoritas hoc loco est tutoris (a) expressa probatio ejus negotij, quod inter pupillum & extraneum (b) præfente tutore (c) geritur.

a) Non etiam Curatoris. Curatores enim consensum interponunt, non auctoritatem. l. 17. §. 1. ff. de appellat. & relat. & rubr. ff. de autho-

authoritate tutorum & consensu curatorum: sic in l. 2. C. qui legit. pers. stand. & c. dicitur: in rebus quæ privati iudicij quæstionem habent, sicut pupillus tutore auctore & agere & conveniri potest: ita adultus curatore consentiente litem & intendere & excipere debet. Authorare enim est legitime quodammodo personam ad actum aliquem integrè perficiendum. Wesenb. ad rubr. inst. de auth. tut. & in parat. ff. eod. n. 5. ea verò auctoritate minori opus non est extra iudicium; cum puberes in suam tutelam veniant. pr. inst. de pupill. subst. & sine curatoribus suis obligentur. l. 101. de V. O.

b) Non verò inter tutorem & pupillum: quia tutor in rem suam auctor esse non potest. §. ult. inst. de auct. tut. l. 1. §. 7. pr. l. 5. ff. eod. sed si inter ipsum & pupillum iudicio agendum sit, curator in locum ejus datur, (qui dicitur curator in litem, Ein Kriegerischer Vormund / de quo est tit. in C. de in lit. dand. tut. & text. in Landrecht. lib. 1. art. 34. & 47.) quo interveniente iudicium peragitur, & eo peracto curator esse desinit. d. §. ult. inst. de auth. tut. aliàs enim pupillus justam personam standi non habet in iudicio. l. 11. C. qui dar. tut. Ideò dixi dari Curatorem, quia non datur tutor. d. §. ult. inst. de auth. tut. cum quòd habenti tutorem tutor dari non potest. §. 5. inst. de curator. l. 9. C. qui pet. tut. vel curat. l. 9. C. qui dar. tut. l. 4. C. in quib. caus. tut. hab. tum quòd tutor tantum personæ & omnibus bonis. §. 17. inst. de excusat. tut. l. 21. §. 2. ff. eod. curator autem etiam ad certum negotium & litem rectè datur. §. 4. inst. qui test. tut. dar. post §. 2. inst. de curat. l. 7 §. 2. ff. de minor. Verùm hæc datio curatoris ad litem tum demum locum habet, quando non nisi unus est tutor; si enim plures sunt tutores, curatorem posci supervacaneum esset; quia pupillus altero tutore auctore cum altero agere potest. l. 24. ff. de test. tut.

c) Qui statim in ipso pupilli negotio præsens (non solum corpore, sed etiam animo l. 1. inf. & l. 14. ff. de auth. tut.) & expressè, purè, auctor debet fieri §. 2. inst. de auth. tut. l. 9 §. 5. ff. eod. id est, probare id quod agitur, ut interpretatur Paulus l. 3. ff. de auth. tut. STATIM, ut non duo negotia videantur esse, sed unum: sicuti in stipulationibus interrogationem statim debet subsequi responsio l. 137. de V. O. & in testamento necesse est, uno contextu omnia fieri. §. 3. inst. de testament. ordin. & à duobus reis promittendi expetitur, ut uno tempore respondeant. l. 12. ff. de duobus reis constit. IN IPSO NEGOTIO, ut tutor non aliud, sed idem agere videatur: sicuti enim extraneus actus interveniens

48.
niens solvit continentiam testamentorum. l. 21. C. de testam. ita etiam
tutelarum. post tempus enim aut per epistolam aut per nuncium in-
terposita ejus autoritas nihil agit. § 2. Inst. de auth. tut. l. 9. § 5. ff. eod. quia
paria sunt, non interponi auctoritatē, & non ritē interponi. l. 2. ff. eod.
EXPRESSÈ, quia non satis est, tutorem præsente esse & tacitè con-
sentire. l. 3. ff. de auth. tut. l. 1. § 2. ff. de tutel. Menoch. lib. 3. præsumpt. 56. n. 13.
PURÈ, Tutoris enim autoritas, non conditionaliter, sed purè debet in-
terponi. l. 8. ff. b. t. Sed quid, si de Commodò pupilli agatur, an sufficiat
negotio expedito Tutoris auctoritatem accedere? Videatur Paul. Mon-
tan. d. tr. cap. 30. num. 53. Berlich. 2. conclus. pract. 18. num. 14.

XIII.

Et in tantum necessaria est pupillo tuto-
ris auctoritas, ut sine ea nec obligari (a); nec
alienare (b); nec hereditatem adire (c); nec
litem inferre (d) possit.

a) pr. Inst. de auth. tut. l. 8. pr. ff. de acquir. vel omitt. hered. nisi in
quantum factus sit locupletior. l. 3. § 4. & l. 6. ff. de negot. gest. l. 5. pr. ff. de
author. tut. dolumve commiserit. l. 13. § 1. ff. de dol. l. 1. § 15. ff. de pos. Atque
hinc nata est communis illa Dd. distinctio, inter pupillum infantem,
infantiæ proximum, & pubertati proximum: Ut pupillus infans aut
infantiæ proximus neque naturaliter neque civiliter obligetur. § 10.
Inst. de inutil. stipul. pubertati verò proximus & naturaliter, siue factus
sit locupletior. l. 5. pr. ff. de auct. & cons. tut. siue non. l. 1. in f. ff. de nov. l. 25.
§ 1. ff. quand. dies leg. ced. l. 127. de V. O. & civiliter, si modò factus locuple-
tior. l. 3. § 4. ff. de negot. gest. l. 3. pr. ff. commodati. l. 1. pr. & l. 5. § 1. ff. de auct.
tut. Vid. de hac distinctione Harprecht. in pr. inst. de auth. tut. num. 24. & seqq.
Bocer. cl. 1. disput. 8. thes. 17. & disput. 16. thes. 8. Schneidevv. ad pr. inst. de auth.
tut. n. 11. & seq. Gothofr. ad. l. 9. de O. & A. lit. I. & l. 41. de cond. indeb. lit. D.
Idè autem pupillus non potest obligari sine tutoris auctoritate, quia
licet ei conditionem suam facere meliorem sine tutoris auctoritate,
deteriorem non item. pr. inst. de auth. tut. l. 28. pr. ff. de pact. licet autem
non possint obligari, possunt tamen obligare. § 9. inst. de inutil. stipul.
pr. inst. de auct. tut. l. 1. ff. de rescind. vendit. sic Cajus: si pupillus, inquit, sine
tutoris auctoritate pactus sit, ne à debitore suo peteret, ratum non habetur; ex
diverso autem, si paciscatur, ne, quod debet, à se petatur, ratum haberi pactum
conventum. l. 28. pr. ff. de pact.

C

b) § 2.

b) § 2. *inst. quib. alien. lic. vel non.* Neque mutui datione vel acceptione. d. § 2. l. 3. § 2. ff ad SC. Maced. neque solutione. d. § 2. l. 9. § 1. ff de reb. credit. Rectè autem illis datur sine tutoris auctoritate § 2. *inst. quib. al. lic. vel non.* Sic Marcellus ait; pupillum quantum ad acquirendum non indigere tutoris auctoritate; alienare verò nullam rem posse, nisi præsentem tutorem auctorem. l. 11. ff de acquir. rer. dom. Et hoc idè, quia non licet ei conditionem suam facere deteriorem. pr. *inst. de auth. tut.* & quia nullum impuberum animi iudicium est. § 1. *inst. quibus non est perm. fac. test.* nullum intellectum habent. § 10. *inst. de inutil. stipul.* sed iudicio carent. l. 12. § 2. ff de iudic. & neque scire neque decernere talis ætas potest, non magis quàm furiosus. l. 9. ff de acquir. vel omitt. hered.

c) l. 9. § 3. ff de auth. tut. Quia aditione hereditatis ex quasi contractu pupillus obligatur tam legatariis, quàm creditoribus hereditariis. § 5. *inst. de oblig. ex q. contr.* & in hereditatibus licet sint lucrosæ, multa tamen sunt metuenda, ut negotiorum multitudo, æs alienum, invidia &c. de quibus vid. l. 4. in f. ff ad SC. Trebell. Item, quia hereditas aditur vero & certo animi iudicio. l. 20. & 88. ff de acquir. hered. quo pupilli carent. § 1. *inst. quibus non est perm. fac. test.* l. 12. § 2. ff de iudic.

d) Ne ex sua imperitia vel juvenili calore aliquid vel dicat vel taceat, quod si fuisset prolatum vel non expressum, prodesse ipsi poterat, & à deteriore calculo eum eripere, ut loquitur l. 4. C. de author. prest. & ne iudicium reddatur elusorium: quod fieret, si sententia ferretur contra minorem indefensum, quæ ipso jure est nulla; quia pupillus non habet integram personam standi in iudicio. l. 1. C. qui legat. pers. stand. in iud. hab.

XIV.

Tutela finitur generaliter (id est, tam testamentaria quàm legitima & dativa) quinque modis: 1. Pubertate. (a) 2. Morte naturali. (b) 3. Capitis deminutione. (c) 4. Excusatione. (d) 5. Remotione. (e)

a) pr. *inst. quibus mod. tut. fin.* l. 4. ff de tut. & rat. distrab. l. 1. & ult. C. quand. tut. vel cur. esse des. quando scilicet indagazione corporum inhonesti

49.
honestia cessante, masculus 14. femina 12. annos implevit. § 1. *inst. quibus mod. tut. fin. & d. l. ult. C. quand. tut. vel cur. esse des.* & sic pupillus in suam tutelam venit. *pr. inst. de pup. subst. l. 50 pr. & § 1. & l. 51 ff de legat. 3. l. 4. ff de hered. instit. & suæ ætatis factus est. l. 3. C. de test. tut.* Et hæc ætas requiritur ad pubertatem etiam de Jure Saxonico, *textus est in Lehenrecht. cap. 26. & Gl. in Weichbild. artic. 26. ibi: Ist zu Land vnnnd Weichbild recht / wann ein Knabe vterzehen Jahr vnd ein Mägdlein zwölff Jahr voll hat / ist es mündig; aber in Lehenrecht / wann Er dreyzehen Jahr vnd sechs Wochen alt ist.* Videtur hodiè ex generali Germaniæ Consuetudine, quòd tutela pubertate non finiatur, sed cum curatela cohæreat, ita ut tutor post pubertatem pupilli etiam curatoris officium continuat *Gail. 2. obs. 96. num. 6.* quemadmodum etiam uno & communi nomine tutores & curatores vocari solent: *Vormünder. Poltey Ordnung de Anno 1548. tit. von Pupillen vnd minderjähriqen Kindern Tutorn vnd Vormündern.* Verius tamen, quòd non obstante hac consuetudine, tutor pubertate finita liberationem petere possit. *Wejenb. Heig. b. Gail. d. l. Hillig. 3. D. ff. 17. lit. 6.*

b) Eaque tam pupilli quàm tutoris. § 3. *inst. quibus mod. tut. fin. l. 4 pr. ff de tut. & rat. distrab.* idque ex ipsa natura relativorum: neque enim quisquam tutor esse potest, nisi pupilli, nec pupilli ulla est tutela, nisi tutorem habentis: tum quia mors naturalis omnia solvit. *Nov. 22. cap. 20. cum quòd onus tutelæ quia personale est. l. ult. § 1. ff de muner. & honor. non transeat ad heredes. l. 1. § 1. ff de tutel. licet actio, quæ ex gestione negotiorum pupillarium resultat, in eos transeat & detur. l. 1. & l. 2. C. de init. jur. l. 1. § 16. ff de tutel. & rat. distrab. l. 3. C. de hered. tut.*

c) Capitis diminutio est prioris status mutatio. *pr. inst. de cap. dimin. l. 1. ff eod.* Eaque vel maxima, cum quis simul & civitatem & libertatem & familiam amittit, ut servitute pœnæ § 1. *inst. de cap. dimin. l. ult. ff eod.* vel minor seu media, cum civitas amittitur, libertas verò retinetur, ut aquæ & ignis interdictione sive deportatione. § 2. *inst. de cap. dimin. d. l. ult. ff eod.* Vel minima, cum civitas retinetur & libertas, sed status hominis, id est, familia permutatur, ut emancipatione vel adoptione. § 3. *inst. de cap. dimin. d. l. ult. ff eod.* Et quidem pupilli pupillæve capitis diminutio quævis tollit tutelam § 1. & 4. *inst. quib. mod. tut. fin. l. 14 § 1. & 2. ff de tutel.* In tutore verò finitur quidem etiam tutela statim, si is maximam vel mediam patiatur capitis deminutionem. *l. 7. ff de cap. min. § 4. inst. eod.* sin autem minima accidat, perdit quidem

peræquè tutelam legitimam, non autem privandus est testamentaria & dativâ. d. § 4.

d) Quando tutores ex justa causa se excusant, & onus administrandæ tutelæ ponunt. § ult. de inst. quib. mod. tut. fin. Quæ autem sint justæ excusationis causæ, vid. infra th. nostra 20.

e) Si scil. tutores à tutela removentur ob id, quòd suspecti visi sint. § ult. inst. quibus mod. tut. fin. l. 14. § 4. ff. de tutel. De hac verò remotione & ejus causis, vid. infra th. nostra 21.

X V.

Specialiter finitur tutela legitima minima cap. diminutione tutoris (a); testamentaria eventu conditionis (b) & eventu temporis. (c)

a) § 4. inst. quibus mod. tut. fin. quia minima capitis diminutio extinguit jus agnationis. § f. inst. de legit. agn. tut. Cæteris autem tutelis non est privandus, quia ibi non habetur ratio pat. potestatis. l. 14. pr. ff. ad SC. Trebell. cùm in testamento etiam filiusfam. tutor dari possit. pr. inst. qui test. tut. dar. poss. Sed hoc jure novissimo est mutatum, ita ut minima hac capitis diminutione legitima tutela non amittatur. l. 7. pr. ff. de cap. min. Nov. 118. c. 4. & 5.

b) Quando tutor existente conditione ad quam testamento erat datus, tutor esse desinit § 2. inst. quib. mod. tut. fin. l. 14. § 5. ff. de tutel. quia standum est voluntati parentis, qui ad conditionis eventum hunc tutorem esse voluit, ut loquitur l. 3. § 1. ff. de adm. & peric. tut.

c) Quo finito tutores deponunt tutelam. § 5. Inst. quib. mod. tut. fin. l. 14. § 3. ff. de tutel. nam, quod vulgò dicitur, limitata causa limitatum producit effectum; & ad tempus permilla post tempus videntur prohibita. Gothofr. ad l. 21. ff. de vulg. & pup. subst. Hæc de propriis Tutelæ sufficiant. Jam ad Curam.

X V I.

CURA (a) est potestas, bona puberis (b)
qui

qui sui juris est, nec sua negotia tueri potest
(c) administrandi.

50.

a) Cura aliàs etiam curatela vocatur & curatoria. l. 2. ff de excus. tut. item curatio. pr. inst. de satud. tut. l. ult. §. 5. C. de curat. fur. l. ult. pr. C. de administr. tut. & dicta est à curando, sicut tutor à tuendo; tueri enim ad personas, curare ad bona respectum habet. l. 20. ff de rit. nupt. Et quanquam variarum rerum cura in jure nostro occurrat: ut cura corporis. l. 50 § ult. ff de oper. libert. cura rei. l. 1. § ult ff ususfr. quemadm. cav. cura pecorum. l. 9 § 5 ff de reb. auth. jud. poss. cura funeris. l. 14. §. 2. ff. de relig. & sumpt. fun. cura agrorum. §. 35. vers. si quis à non domino. inst. de rer. div. cura servi ægri. l. 3. ff si quadr. paup. sec. dic. Nos tamen hinc eam tantum intelligimus curationem, quæ est minorum.

b) His verbis notatur differentia tutoris & curatoris. Nam I. Tutor datur impuberi. § 3 inst. de tutel. curator puberi. pr. instit. de curator. regulariter scilicet: quandoque enim etiam datur pupillis idoneum tutorem non habentibus. § 5. & 6. inst. eod. vid. th. nostra seq. prox. lit. H. II. Tutor datur testamento. § 3. inst. de tutel. Curator non item. § 1. inst. de curator. quia ea quæ in testamento scripta sunt, non debent ex alieno pendere arbitrio. l. 32. ff de hered. instit. ut pendet curatela ex arbitrio ejus, cui curator datur; cum invitis dari nequeat. §. 2. inst. de curator. Datus tamen curator in testamento, à Magistratu confirmatur, & paterno testimonio pro ejus satisfactione sufficiente cæteris præfertur. vid. l. 27. C. de Episc. aud. Hodiè verò quia curatoris nomen & officium cum tutela conjungitur, curator etiam rectè in testamento constituitur. vid. Poltey Ordnung, de Anno 1577. tit. 32. von der Pupillen vnd minderjähriigen Kindern Tutoren vnd Vormündern. III. Tutor datur pupillis etiam invitis. l. 6. ff de tutor. curator verò non nisi minoribus volentibus. § 2. inst. de curator. exceptà causa litis. d. § 2. & l. 3. §. pen. ff de tutel. vel si debitores minoribus pecuniam solvere velint aut debeant. l. 7. §. 2. ff de minor. aut minores à Tutoribus rationes petant administratæ tutelæ. l. 7. C. qui per. tut. vel ob alios casus, quos refert Schrader. in tract. Feud. part. 10. sect. 19. num. 201. & seqq. Hodiè verò omnibus adolescentibus, etiam invitis curatores dantur, quod indicat Poltey Ordnung de anno 1548. t. 31. § 1. & 2. IV. Tutor datur omnibus bonis. § 17. inst. de excus. tut. curator etiam rebus singulis. § 2. inst. de curator. Et hinc est, quod Curator alius est generalis. l. 61. pr. ff. de jur. dot. & l. 28. C. eod. qui in omnem rem datus est. l. 15. ff. de tut. & cur. dat. & plenissimus curator dicitur. l. 6. ff de curat. furios. alius specialis

C 3.

d. l. 28.

d. l. 28. C. de jur. dot. qui certæ rei datur. § 2. inst. de curator. l. 48. ff de ad-
 min tut. l. 11. C. qui dar. tut. & dicitur curator ad species datus. l. 8. ff rem
 pup. salu. fore. V. Tutor principaliter personæ datur. § 4. inst. qui test.
 tut. dar. l. 14. ff. de test. tut. Curator rebus. l. 8. C. de nupt. l. 20. ff de rit. nupt.
 VI. Tutor majorem habet potestatem, quàm curator, absque tutore
 enim pupillus non obligatur *pr. inst. de auth. tut. conferatur ihes. 13. lit. A.*
 absque curatore verò minor. l. 101. de V. O. VII. Tutela finitur in ma-
 sculis post 14. in fœminis post 12. annum completum *pr. inst. quibus
 mod. tut. fin.* Cura verò indistinctè tam in masculino quàm in fœmina
 post 25. annum completum. *pr. inst. de curator.* VIII. Curator habenti
 tutorem dari potest. l. 20 § 1. ff de tut. & cur. dat. l. 12. C. qui dar. tut.
 Tutor verò habenti tutorem dari non potest. § 5. inst. de curator. l. 9. C.
 qui dar. tut. l. 9. C. qui pet. tut. l. 4. C. in quibus cas. tut. hab. Regulariter
 scilicet. Sunt enim casus in quibus tutor datur habenti tutorem: ut si
 unius ex pluribus tutoribus ut suspectus removeatur, in perpetuum
 excusetur, moriatur, deportetur, aut in perpetuum relegatur. l. 2. & 4.
 C. in quibus cas. tut. hab. l. 11. § ult. ff de test. tut. l. 3. C. qui per. tut. l. 10. C. qui
 dar. tut. vel cur. poss. vel tutor ad gerendam tutelam sit inhabilis, ut fu-
 riosus, surdus vel mutus. l. 17. ff. de tutel. vel abfuturus reip. causa. l. 1. C.
 in quibus cas. tut. hab. l. 12. ff de tutel. l. 3. § 10. ff de susp. tut. l. 9. pr. ff. de tut. &
 rat. distrab. vel si pupilli bona sint in diversis sita provinciis: tum enim
 datur tutor habenti tutorem, non rerum earundem sed diversarum.
 l. 21. § 2. 3. 4. l. 10. § 4. & l. 19. ff. de excusat. vel si tutor ad hostes perveniat,
 ita tamen, ut servus non fiat, veluti legatus. l. 15. ff de tutel.

c) Impeditus scilicet vel ob ætatem, ut minor 25 annis *pr. inst. de
 curator.* vel ab vitium animi, ut furiosus prodigus, mente captus. § 3.
inst. de curator. aut corporis, ut surdus mutus, perpetuo morbo labo-
 rans § 4. *inst. eod.* Et manent illi sub cura ad 25. usque annum comple-
 tum. *pr. inst. eod.* Hi omni tempore vitæ suæ *Cajus lib. 1. tit. ult.*

XVII.

Datur ergò Curator. 1. puberibus (a) 2. fu-
 riosis. (b) 3. prodigis. (c) 4. mente captis. (d)
 5. surdis. (e) 6. mutis. (f) 7. perpetuo morbo
 laborantibus. (g) 8. pupillis. (h)

a) Usque ad 25. annum completum. *pr. inst. de curator.* adeò, ut
 extremum momentum elapsum esse oporteat. l. 3. § 3. ff de minor. nisi
 ætatis

ætatis veniam à Principe impetraverint. *l. 1. C. de his qui ven. etat impetr.*
 quia fragile est & infirmum hujusmodi ætatum consilium & mul-
 tis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, ut loqui-
 tur *l. 1. pr. ff. de minor.* & licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt,
 ut negotia sua tueri non possint. *pr. inst. de curator.* post id verò tempus
 pupillus sua bona ipse administrare potest. *l. ult. ff. de condit. & demonstr.*
 De Jure Feudorum minor dicitur quibusdam is, qui 25. annum non-
 dum superavit. *per text. extraord. lib. 2. tit. 91. de investit. ver. & nov. be-
 nef.* quibusdam, qui nondum 18. annum. *Hottomannus disput. Feud. 13.
 Tilem. vol. 1. disp. pandect. 11. th. 34.* Jure Saxonum minorum ætas anno
 ætatis 21. terminatur. *Landrecht lib. 1. art. 42. vers. vber ein vnd zwanz-
 zig Jahren ist der Mann zu seinen Tagen kommen.* & in *Lehenrecht
 cap. 26.* In Electore Principe anno 18. finitur, ex *A. B. Caroli IV. tit. 7.
 von der Churfürsten Nachkommen:* Quod etiam in Ducatu Bavariæ
 sine discrimine dignitatis in plebe receptum esse, ex ordinatione illius
 Ducatus patescit.

b) §. 3. *inst. de curat. l. 1. ff. & C. de curat. furios.* qui mentis ad omnia
 cæcitate laborant. *Cic. lib. 3. Tuscul. quæst.* Consilio enim & opera Cura-
 toris conservari debet non solum patrimonium, sed etiam corpus ac
 salus furiosi, ut loquitur *l. 7. pr. ff. de curat. fur.* non modò ne pernicio-
 sius quid ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint. *l. 14. in f.
 ff. de offic. presid.* mente enim carent. §. 1. *inst. quibus non est perm. fac. test.
 & judicio. l. 12. §. 2. ff. de judic.* nec intelligunt quod agunt. §. 8. *inst. de
 inuril. stipul.* Et hîc observandum est, quòd asserenti aliquem esse fu-
 riosum, probandi incumbat onus. *Mynscent. 3. obs. 77.* probari autem
 potest variis argumentis, utpotè ex insana locutione. *l. 4. ff. de adil.
 edict.* temerâ lapidum jactione. *Alex. in l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. vestium
 dilaceratione. & c.*

c) §. 3. *inst. de curat. l. 1. ff. & C. de curat. furios.* quia publicè expedit,
 ne quis re suâ malè utatur. §. f. *inst. de his qui sui vel al. jur. sunt.* quod fa-
 ciunt prodigi, qui ex testamento parentis heredes facti malè dissipant
 bona. *Ulp. inst. t. 12. §. 2.* & neque tempus neque finem expensarum ha-
 bent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt. *l. 1. ff. de cu-
 rat. furios.* & sic quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum plerumque
 faciunt exitum. *l. 12. §. 2. ff. de tut. & cur. dat.* Hîc se offert quæstio illa,
an prodigo ipso jure bonis interdatur, an verò decreto Magistratus? Quæ
 quidem quæstio tam utilis est, quam est difficilis. Si enim ipso jure ei
 interdicitur bonorum administratio, omnia illa, quæ ab eo gesta sunt
 irrita sunt & pro non gestis habentur: sin autem decreto demum
 Magi-

Magistratus, tum omnia illa, quæ ante interdictionem à Magistratu factam gessit, firma & rata sunt, ac si non à prodigo, sed à quovis bono patrefam. gesta essent. Nos DECRETO MAGISTRATUS ipsi bonis interdici affirmabimus *per text. express. in l. 10. pr. & l. 6. §. 1. ff. de curator. furios. Paul. 3. sentent. rec. 4. v. 7.* Moribus, ait, per prætorem bonis interdicitur: Quando tua bona paterna avitæ nequitiâ tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi eâ re commercio interdico. Item *arg. l. 27. pr. ff. de minor. in verbis: debeat interdici. l. 12. ff. de tur. & cur. dat. l. 3. C. de in integr. rest. min. l. 1. C. de curat. furios. ubi dicitur, prodigis solere dari curatorem: exinde sequitur opus etiam esse decreto Magistratus, quia sine illo curator non datur. §. 1. inst. de curator. l. ult. C. de Magistr. conven. Vid. de hac quest. Cujac. ad l. 6. de V. O. Borcholt. de V. O. c. 3. n. 55. Treutl. vol. 1. disp. 6. th. 5. lit. D. & disp. 20. th. 9. lit. B. & vol. 2. disp. 10. th. 3. lit. D. Forster. disput. inst. 5. th. 3. Matth. Steph. cent. 1. q. 99. C. I. A. de curat. furios. th. 3.*

d) §. 4. inst. de curator. qui à furiosis differunt, quòd in furiosis sit rabies; mente capti verò sint sine rabie. *vid. Bald. in l. hum. 9. C. de imp. & al. subst. l. 2. C. de curat. fur. l. 25. C. de nupt. & iidem planè, qui dementes & fatui in Jure dicuntur. Furiosi autem alii sunt perpetuò furiosi. l. 6. pr. l. 7. pr. & §. 2. C. de curat. fur. l. 14. ff. de offic. præsid. l. 12. §. 2. ff. de judic. l. 22. §. 7. ff. solut. matr. alij habent intervalla. d. l. 22. §. 7. dilucida intervalla. l. 9. C. qui test. fac. poss. seu intermissionem. l. 20. §. 4. ff. eod.*

e. f. g.) quia scil. rebus suis superesse non possunt. §. 4. inst. de curat. Et prætor his personis dat curatores, considerans in illis impotentiam rerum administrandarum directò & propalàm, non ut in minoribus per consequentiam. Nam etsi (*inquit Ioh. Ramus ad t. inst. de curat.*) optimè rem suam gerant, sub curatoribus tamen degere malint, non est eis beneficium ætatis minimè competens denegandum.

h) §. f. inst. de curat. quando scil. tutor vel non est idoneus. d. §. f. l. 12. pr. ff. de excusat. vel nimis egenus. l. 6. C. de suspect. tut. vel absens reip. causa. l. 1. C. in quibus cas. tut. hab. vel ad tempus excusatus. d. §. f. inst. de curator. l. 2. & 4. C. in quibus cas. tut. hab. vel remotus. d. §. f. & d. l. 4. C. vel si tutor tanquam suspectus removendus, sit pupilli consanguineus vel patronus. l. 9. ff. de susp. tut. vel nimis diffusum sit patrimonium. l. 3. & ult. C. in quibus cas. tut. hab. vel tutor litem habeat cum pupillo, intra tempus administrationis ortam. §. ult. inst. de auth. tut. vel adversa valetudine aut alia quadam necessitate impediatur. d. §. f. inst. de curator.

Hæc

Hæc de propriis tūtela & curæ. Jam ad Communia utrique pro-
grediemur (quæ methodus in jure nostro frequens est , ut ff Com-
munia prædiorum, Communia utriusque judic. Communia de suc-
cessionibus & Communia de legatis & fideicommissis) quæ sunt Sa-
tisdatio, Excusatio, & Remotio *rubr. inst. de satisd. tut. & cur. rubr. inst. &*
C. de excus. tut. & cur. & rubr. inst. ff. & C. de suspect. tut. & cur.

Satisdatio est cautio, quâ tutores (a) &
curatores datis fidejussoribus (b) cavent,
rem pupilli vel minoris salvam fore. (c)

a) Legitimi scilicet; non testamentarij. *l. 17. ff. de test. tut. l. 3. C. de*
tut. vel cur. qui sat. non ded. pr. inst. de satisd. tut. quia fides eorum & dili-
gentia ab ipso testatore approbata est. *d. pr. inst. de satisd. tut.* & pater-
num testimonium pro satisdatione sufficit. *l. ult. § 5. C. de curat. fur. l.*
27 pr. C. de Episcop. aud. Et horum exemplo, nec à Prætore confirmati.
l. 3. ff. de confirm. tut. l. 4. C. de tut. vel cur. qui sat. non ded. Gl. & Barthol. in l.
1. C. eod. l. 27. C. de Episcop. aud. l. ult. § 5. C. de cur. fur. Schrader. *part. 10. sect.*
20. n. 306. Nec dativi à Magistratu cum inquisitione dati. *pr. inst. de sat.*
tut. l. 4. C. de tut. vel cur. qui sat. non ded. quia idonei electi sunt *d. pr. h.* Sed
observandum hîc est, quod hoc non sit perpetuum; sunt enim casus,
in quibus nec legitimi satisdant. *in l. 13. § 1. ff. de tut. & cur. l. 5. § 1. ff. de*
legit. tut. & è contra ex inquisitione dati satisdant, si scilicet non tam
facultates, quàm fides eorum spectetur; *exempl. l. 112. § 1. de V. O.* Hodie
omnes tutores & curatores satisdare debent. *Policey Ord. zu Franck-*
furth de Anno 1577. tit. von Pupillen 32. §. daß auch ein jeglicher Bor-
mund. & §. Item, daß Er nach befohlener &c. *vid. Vult. ad pr. inst. de sa-*
tisd. tut. n. ult. Harprecht. ib. n. 13. C. l. A. de adm. & per. tut. tb. 6. in f.

b) Nec enim sola sufficit cautio juratoria. *Nov. 72. c. ult. & sapius*
alleg. Ord. polit. de anno 1548. & 1577. tit. 32.

c) *arg. pr. inst. de satisd. tut.* id est, qua spondent, se velle omnia rectè
& cum utilitate pupilli vel minoris agere, & neque prætermittere ea,
quæ utilia ipsi esse putaverint, neque admittere quæ inutilia existima-
verint, ut loquitur *l. ult. § 5. C. de curat. fur. & l. 27. C. de Episcop. aud.* item
defensionem pupilli sine dilatione suscipere. *l. f. § 4. C. de adm. tut.*
Cautio igitur finalis satisdationis est Conservatio rerum pupillarum;
ne pupilli vel minoris negotia à curatoribus vel tutoribus, qui ple-
rumque in officio infideles & negligentes reperiuntur. *Nov. 72. cap. 6.*
consumantur vel diminuantur. pr. inst. de satisd. tut. ad quod necessa-

riò requiritur satisfactio; quia nemo alienæ rei defensor idoneus sine satisfactioe intelligitur. §. 1. & 5. *inst. eod.* Et huc pertinet, quo officio tutoris incumbit, etiam rationes actus sui conficere. *l. 1. §. 3. ff. de tut. & rat. distr.* & inventarium; cùm tutor qui repertorium non fecit, quod vulgò Inventarium appellatur, dolo fecisse videatur. *l. 7. pr. ff. de adm. & peric. tut.* item tutelæ iudicio rationem reddere. §. *ult. inst. de Artil. tut. t. t. ff. de tut. & rat. distrab.* idque finitâ tutela. *d. §. ult. & l. 4. pr. ff. de tut. & rat. distrab.* quia Jure Justiniano absurdum erat, rationem administrationis negotiorum pupilli reposci, in qua tutor adhuc perseveraret. *l. 9. §. 4. ff. eod.* Hodie verò quotannis rationem reddere debet. *d. Ord. polit. de anno 1548. & 1577.* Quod si tutores & curatores supra dicta non fecerint, & eorum dolo, culpa & negligentia (non autem casu. *l. 4. C. de peric. tut. l. 32. §. 1. & l. 50. ff. de adm. & peric. tut.*) damni quid accidat vel quid pupillo absit, ad id finita tutelâ tenentur. *t. t. C. arbitr. tut.* Et primò ij qui gesserunt singuli in solidum. *l. 55. pr. ff. de admin. & peric. tut. l. 2. pr. C. de divid. tut.*; Deinde iis non sufficientibus, fidejussores; post Magistratus qui idoneè caveri non curarunt. *l. 1. §. 15. ff. de tut. & rat. distrab.* & denique honorarij, qui non gesserunt. *d. l. 1. §. 15.* conveniuntur & tenentur. Tutoribus verò qui singuli in solidum conveniuntur, quatuor dantur remedia seu beneficia: I. Beneficium Divisionis, quo tutor de tutela non divisa in solidum conventus, obligationem inter contutores dividi, & pro virilibus portionibus exigere petit. *l. 1. §. 11. & 12. ff. de tut. & rat. distr. & t. t. C. de divid. tut.* Si autem tutela vel à testatore vel à lege inter ipsos divisa fuerit, quisq; pro sua portione convenitur. *l. 2. C. eod.* II. Beneficium Ordinis, quo Magistratus qui parùm idoneum tutorem dedit, tutoresque honorarij petunt, prius excuti bona fidejussoresque ejus qui gessit; & tum demum quatenus non invenitur solvendo, se ipsos conveniri sinunt. *l. 1. §. 15. ff. de tut. & rat. distrab. l. 1. 3. & 4. C. de Magistr. conven.* III. Beneficium Cessionis, quo tutor in solidum condemnatus à pupillo petit, cedi sibi actiones adversus contutorem, quibus contra eum experiatur, si ad meliorem fortè veniat fortunam. *l. 1. §. 18. ff. de tut. & rat. distrab.* IV. Beneficium Utilis actionis, negotiorum gestorum, quo omissa cessionis petitione is qui solvit, collegam convenire potest. *l. 30. ff. de negot. gest.*

XIX.

Excusatio tutorum vel curatorum, est immunitatis à tutela vel cura ex justa causa (a) descendens intra tempus constitutum (b) facta allegatio. (c)

a) Quæ scilicet sua æquitate nititur. *l. 1. pr. ff. de vacat. & excus. mun.* Si quis enim falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit, non est liberatus onere tutelæ. § *ult. inst. de excus. tut. vel cur.* ne cui dolus suus profit. *l. 1. ff. de dol. mal. & met. exc. l. 31. ff. de recept. qui arbitr. recep.*

b) Quod erat spatium 50. dierum, à tempore scilicet cognitionis quo novit se tutorem datum esse. *vid. §. 16. inst. de excus. tut. l. 13. §. 1. 2. & 3. ff. eod. l. 6. C. eod.*

c) Hæc definitio fundatur *arg. t. t. & imprimis §. 16. inst. de excus. tut. Vult. ibi n. 4.* Et observandum est, quod hæc excusatio tum demum locū habeat, quando tutelæ curæve datio ipso jure est efficax: qui enim non justè dati sunt tutores (id est, à quibus non oportet aut quos non oportet, aut quibus non oportet, aut quo non oportet modo) non habent excusationis necessitatem, sed ipso jure sunt tuti. *l. 13. §. 12. ff. de excusat.*

XX.

Causæ autem Excusationis vulgatæ sunt.

1. Multitudo liberorum. (*a*) 2. Administratio rerum fiscalium. (*b*) 3. Absentia reip. causa. (*c*) 4. Potestas. (*d*) 5. Lis. (*e*) 6. Multitudo tutelarum. (*f*) 7. Paupertas. (*g*) 8. Morbus. (*h*) 9. Imperitia literarum. (*i*) 10. Inimicitia. (*k*) 11. Status controversia. (*l*) 12. Ætas. (*m*) 13. Militia. (*n*) 14. Professio. (*o*) 15. Nuptiæ. (*p*) 16. Sacerdotium. (*q*)

a) Pro diversitate loci ordinata *pr. inst. de excus. tut. l. 2. §. 2. ff. eod. l. 1. C. qui num. liber.* Et hîc necesse est, ut liberi jam sint nati. *l. 2. §. 6. ff. de excus. item legitimi & naturales. d. l. 2. §. 3. pr. inst. eod. & superstites. d. l. 2. §. 4. ff. de excus. pr. inst. eod. vel in acie amissi. d. pr. l. 15. ff. eod.* qui enim pro rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *d. pr. inst. de excus. tut.* Non ergo profunt liberi I. adoptivi. *d. pr. inst. de excus. tut.* quia factum SC. ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret. *Tacit. lib. 15* II. Naturales tantum. *arg. l. 2. §. 3. ff. de excus.* ne parentes ex suo delicto privilegium habere videantur. *arg. d. l. 2. §. 1.* III. Defuncti; quia in rerum natura esse desierunt *pr. inst. de excus. tut.* IV. Postumi, *l. 2. §. 6. ff. eod.* ipsi enim comparantur jam

D 2

natis,

natis, quando de eorum utilitate agitur. *l. pen. ff. de stat. hom. l. 231. de V. S.* quia verò hîc de ipsorum commodo non agitur; igitur uti nec aliis. *d. l. 231.* ita nec patri hîc & in reliquis civilibus muneribus profunt. *d. l. 2. §. 6. ff. de excus.* Et generaliter hîc notandum, quòd numerus liberorum determinatus esse oporteat unicuique tunc, quando tutor creatur; nam si post creationem generantur, non auxiliantur. *d. l. 2. §. 8. ff. de excusat.*

b) § 1. *inst. de excus. tut. l. 41. pr. ff. eod. l. 10. C. eod.* ne dum rebus pupilli opera datur, fiscus interea lædatur, ut loquitur *Aldobr. ad § 1. inst. de excus. tut.* utilitas enim communis privatæ præfertur. *Auth. res qua. C. commun. de legat. l. 5. C. de offic. Rector. provinc. l. 65. § 5 ff. pro socio. & l. 21. ff. com. dividund.* Et hoc quod in administratoribus fisci valet, extenditur etiam ad alios, quibus Princeps curam alicujus rei injunxit. *l. 22. in f. & 41. ff. de excusat.* ut sunt exactores tributorum. *l. 10. C. eod.* Præfecti annonæ & vigillum. *l. 41. §. 1. ff. eod.* mensores frumentarii. *l. 26. ff. eod.*

c) § 2. *inst. de excus. tut. t. t. C. si tut. vel curat. reip. caus. ab.* non quidem affectata & sui commodi causa, sed coacta. *Borcholt. hic p. 145.* Qui verò dicantur abesse reip. causa, exponitur in *l. 5. 6. & 7. ff. ex quib. caus. maj.* Hæc autem absentia reip. causa non excusat in perpetuum, sed ad tempus; reversi enim hujusmodi tutores recipiunt onus tutelæ susceptæ. *d. § 2. inst. de excus. tut. & anni habent vacationem à tutela suscipienda. l. 10. pr. ff. de excus. l. f. C. si tut. vel cur. reip. caus. aber.*

d) § 3. *inst. de excus. tut. l. 17. § 5. ff. eod.* id est, imperium. *l. 215. de V. S.* municipales enim Magistratus qui fasces imperii non habebant, ut Tribuni olim, non excusabantur. *l. 23. ff. de excus.* Et potestas excusat à tutela suscipienda, non suscepta. Hodiè omnes Magistratus à tutela excusantur, nec, nisi volentes illam suscipere tenentur.

e) Cum pupillo scilicet vel adulto; & quidem de hereditate seu omnibus bonis. § 4. *inst. de excusat. tut. l. 21. ff. eod. l. 16. C. eod.* vel maxima eorum parte. *d. l. 21.* quia bona sunt alter sanguis hominis, secundum *Gloss. in l. 14. in verb. vitam. C. de advocat.* Hodiè etiam quælibet lis obstat, cum debitor aut creditor pupilli tutor ejus esse nequeat. *Nov. 72. c. 1. 2. & 3. & Auth. minoris. C. qui dar. tut. poss.*

f) Hîc necesse est, ut ad minimum sint tres tutelæ. § 5. *inst. de excus. tut. l. 2. § 9. l. 3. & 4. ff. eod. l. un. Cod. qui num. tutel.* eæque non affectatæ. *d. § 5. & d. l. un.* vel honorariæ. *l. 15. § 9. ff. de excus.* quia nullum affectatum est onerosum, ait *Schneidevv. ad § inst. inst. de excus. tut.* & sibi impudet, qui onera ultrò expedit. Non autem hîc numerus pupillorum plures tutelæ facit, sed patrimoniorum separatio. *l. 3. ff. de excus. & l. 31.*

inf.

in f. eod. licet quandoque etiam una tutela, si tam diffusa & negotiosa sit, pro pluribus habeatur. d. l. 31. §. ult.

57.

g) Quæ operi & oneri tutelæ impar est, ut loquitur §. 6. inst. de excus. tut. l. 7. & l. 40. §. 1. ff. eod. Quis verò pauper dicatur, relinquatur arbitrio iudicis Schneidervv ad §. 6. inst. de excus. tut. n. 2. Treutl. vol. 2. disp. 9. th. 2. lit. e. adde Menoch. 2. arbitr. jud. cent. 1. cas. 65.

h) Non omnis; sed quæ impediendo est, quo minus quis suis rebus superesse possit. §. 7. inst. de excus. tut. l. 10. §. ult. l. 11. & 12. ff. eod. id est, morbus fonticus. l. un. C. qui morbo. l. 40. ff. de excus. Non ergo possunt esse tutores surdus & mutus (ille, quia auctoritatem præbere non potest. l. 1. §. 2. ff. de tutel. hic, quia non tantum audire sed & loqui tutor debet. d. l. 1. §. 3.) cæcus, furiosus, valetudinarius. l. 1. & 17. ff. de tutel. l. un. C. qui morbo. l. 40. ff. de excus. l. 3. C. qui dar. tut.

i) Cum ineptiâ & imperitiâ rerum gerendarum conjuncta. §. 8. inst. de excus. tut. l. 6. §. ult. ff. eod. si enim rerum peritiâ habeant imperiti literarum, non excusantur. vid. Hoen. lib. 1. disp. 3. contr. 18. Vultei. discept. Schol. cap. 8. C. l. A. de Excusat. th. 11.

k) Intelligitur inimicitia capitalis, non reconciliata. §. 11. inst. de excus. tut. l. 6. §. 17. ff. eod. Inimici autem capitales dicuntur, qui movent causam criminis, vel quibus movetur; item qui minantur mortem. l. 14. §. 3. ff. de bon. libert. l. 15. ff. de recept. arbitr. pater autem ideò dat testamento talem inimicum tutorem, ut eum in tutelam periculosam immisceat, supponatque debito & negotiis. l. 6. §. 17. ff. de excusat.

l) Cùm scil. status controversia vel tutori à patre pupilli mota est, §. 12. inst. de excus. tut. vel tutor movet pupillo. l. 6. §. 18. ff. eod.

m) Ætas excusat vel major vel minor. Major, cùm is qui tutor datur, 70. annos excessit. §. 13. inst. de excus. tut. l. 2. pr. ff. eod. l. un. C. qui atat. l. 3. C. qui atat. vel profess. tùm quòd senectus ipsa satis gravis & molesta sit, & per se species morbi, magisque quietem desideret, quam aliquas extraneas perturbationes; tùm quod Romani senibus Magistratuum privilegia concesserint. l. 5. pr. ff. de jur. immunit. ubi dicitur: Semper in civitate nostra senectus venerabilis fuit; namq; majores nostri eundem penè honorem senibus, quem Magistratibus, tribuebant. Minor ætas excusat, cùm is qui datur minor est 25 annis §. 13. inst. de excus. tut. l. ult. C. de legit. tut. cùm sit incivile, eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egerenoscentur & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire. d. §. 13. & cùm naturalis ordo per omnia sit servandus, & tam nominum quàm rerum fœda sit confusio, eundem esse tutorem & sub tutela; eundem esse curatorem & sub cura d. l. ult. C. de legit. tut.

D 3.

n) Et

n) Et militia in tantum excusat, ut nec volens miles admittatur. § 14 *inst. de excus. tut. l. 8.* ff *eod. l. 4. C. qui dar. tut. l. 8. C. de legat.* tum ob utilitatem reip., ne milites à militia distrahantur, sed ut armis, non privatis negotiis occupentur, ut numeris & signis suis jugiter inhaerentes, remp. à qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant, ut dicitur *in l. 31. C. de locat. & cond.* tum propter imperitiam; quia milites magis decet arma scire, quàm leges. *l. ult. pr. C. de jur. delib.* aut tractare alia negotia. *d. l. 31. C. de loc. & cond.* Verùm à tutela filiorum sui commilitonis miles non excusatur; coequalitas enim honoris militiae fortior videtur militum privilegio *l. 8. ff de excus.*

o) Sub qua continentur Grammatici, Rhetores, Medici, intra praescriptum numerum § 15 *inst. de excus. tut. l. 6.* ff *eod. t. t. C. de profess & medic.* Item philosophi. *d. l. 6. § 5 l. ult. pr. C. de prof. & Medi.* quorum numerus non est determinatus; quia rari sunt philosophi *d. l. 6. § 7* Et hodiè illorum exemplo etiam excusantur Consiliarij Principis, qui circa laetitia ejus agunt, & quorum honor delatus finem certi temporis & loci non habet, ut dicitur *in l. 20. ff de excus.* Item Professores Academiae & Gymnasiorum illustrium; *secundum Dd. his.*

p) Nuptiis excusatur maritus à cura uxoris suscipienda & suscepta. § 19 *inst. de excus. tut.* ita ut nec volens curator esse possit. *l. 1. § 1. ff eod. l. 2. C. qui dar. tut. vel cur poss.* bonorum scilicet uxoris receptitiorum. Uxor enim triplex habet patrimonium seu triplicia bona: I. Dotem, in qua maritus civile dominium habet, & disponit & agit & convenitur tanquam dominus, uxore dominium naturale retinente. *l. 9. C. de rei vind.* II. Bona paraphernalia, quae mulier ultra dotem marito affert *παράφερνα* enim significant Græcis bona extra dotem, hi enim *ἐξωνυ* dotem dicunt; & in his maritus administrationem habet, ut sine speciali uxoris mandato & agere & conveniri possit. *l. 4. § 3 ff de jur. dot.* III. Bona receptitia, quae mulier, cum dotem daret, ex bonis suis retinuit, neque in mariti potestate esse voluit. Et haec sunt bona illa, quorum curator maritus esse nequit § 19 *inst. de excusat. l. 14.* ff *de cur. furios.* ita ut curator datus alium postulare necesse habeat. *l. 4. C. de excus.* Jure verò Saxonico maritus potest esse curator suae uxoris. *lib. 1. art. 31. & 45. & lib. 3. art. 45.*

q) Ut Episcopi & c. aliis relictis, Dei omnipotentis ministerio eò magis inhaereant. *l. 52. C. de Episcop. & Cleric.* Tutelam verò legitimam volentes accipere possunt. *Auth. Presbyteros. C. de Episcop. & Cleric. Nov. 123. cap 5.*

Remo-

Remotio ob crimen suspecti est, quâ tutor vel curator (a) suspectus (b) à tutela vel cura removetur. (c)

a) Suspectus fieri potest quilibet curator & tutor, sive testamentarius sit, sive non sit. §. 2. *inst. de susp. tut. l. 1. §. 5. ff. eod.* licet enim tutoris testamentarij fides ab ipso testatore approbata sit. *pr. inst. de satisd. tut.* & legitimi tutores propter sanguinis vinculum pupillis juncti sint; quorum interventus aliàs facit cessare præsumptionem. *ut not. post text. in l. 35. C. de transact.* item dativi à Magistratu idonei electi sint. *pr. inst. de satisd. tut.* multa tamen post susceptam tutelam accidere possunt, unde in suspicionem vocentur. *arg. l. 8. & 10. ff. de confirm. tut.* Quia verò remotio suspecti famam lædit. §. 6. *inst. de susp. tut.* leges volunt, ut contra patronos & adfinitate vel sanguine pupillo junctos tutores modestiùs agatur, ut nimirum ipsorum famæ parcat. §. 2. *inst. de suspect. tut.* & curator iis potiùs adjungatur, quàm ut cum notata fide & exultimatione removeantur. *l. 9. ff. eod.* Et tutor suspectus, etiamsi satis offerat, removendus est. §. *ult. inst. de suspect. tut.* quia satisfactio propositum tutoris malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat. *d. §. ult. & l. 6. ff. de suspect. tut.* & pupillo expedit, rem suam salvam esse, quàm tabulas rem salvam fore cautionis habere, ut loquitur *l. 5. ff. eod.*

b) Suspectus autem est is, qui moribus talis est ut suspectus sit. §. *ult. inst. de suspect. tut. l. 8. ff. eod.* qui tutelam vel planè contumaciter non vult gerere. *l. 3. C. de suspect. tut.* vel non ex fide gerit §. 5. *inst. eod.* sed fraudulenter. §. 12. *inst. eod. l. 1. C. eod.* qui sordidè agit vel perniciosè pupillo, vel aliquid intercipit ex rebus pupillaribus & in privatos usus trãsfert. *l. 3. §. 5. ff. de susp. tut.* qui pupillum vel in consideranter vel dolo abstinet hereditate. *d. l. 3. §. 17. ff. eod.* qui pupillo non præstat alimenta. §. 9. *inst. de suspect. tut. l. 3. §. 14. ff. eod.* qui res minorum vel pupilli immobiles sine decreto judicis alienat. *d. l. 3. §. 13.* & fortè domum vendit, in qua defecit pater, minor crevit, in qua majorum imagines aut non videre fixas, aut revulsas videre, satis est lugubre, ut dicitur in *l. 22. vers. nec verò. C. de administr. tut.* qui inventarium non fecit. *l. ult. in f. C. de arbitr. tut.* qui pupillum non defendit. *l. f. pr. C. de administr. tut.* vel ex aliis conjecturis & argumentis suspectus sit. *l. 3. §. 4. ff. de suspect. tut.*

c) Et

c) Et hoc jus removendi suspectos tutores vel curatores datum est Romæ Prætori; in provinciis autem Præsidibus quibusvis. *l. 1 §. 3. ff. de suspect. tut. §. 1. inst. eod.* utpotè qui suo jure jurisdictionem habent. *l. 5. ff. de jurisdic.* item iis qui jurisdictionem habent alieno beneficio, ut legatis proconsulis. *l. 1 §. 4 ff. de suspect. tut.* Hodie verò omnes Magistratus qui habent jus dandi tutores, habent etiam jus cognoscendi de crimine suspecti. *Dn. Obrecht. de patroc. pupill. th. 737. & 738. Harpr. ad §. 1. inst. de suspect. tut. num. 3. C. I. A. ib. thes. 4. in f.* Et effectus hujus remotio- nis est, ut si tutor ob dolum removeatur, fiat infamis: sin ob culpam, non æquè *§. 6. inst. de suspect. tut. l. 3. §. ult. ff. eod. l. ult. C. eod.* quod de lata culpa intelligitur; quia ob levem culpam nemo removetur; & mul- to minus ob levissimam; quia hæc culpæ species possunt esse conjun- ctæ cum bona fide. *fac. l. 32. ff. de condit. & demonstr. l. 22 §. 3. ff. ad SC. Trebell. & proinde ineptum foret quærere, an quis remotus ex ea culpa infamis fiat, an non, cum ex ea non sequatur remotio. C. I. A. de suspect. tut. th. 11. pr. vid. Schneidevv. ad §. 6. inst. eod. Bronchorst. cent. 3. ass. 19.*

X X I I.

Postulatio suspecti est actio popularis (a) quâ omnibus (b) permittitur tutores vel curatores accusare tanquam suspectos.

a) Quæ jus publicum populi tuetur. *l. 1. ff. de popul. act. & cui- libet de populo competit, qui modò integræ sit existimationis. l. 4. ff. eod. unde etiam dicitur quasi publica actio. l. 8 §. 6. ff. de suspect. tut. & accusatio. §. 3. inst. eod.*

b) Id est, præter parentes, cognatos, affines extraneos. *l. 6. C. de suspect. tut.* etiam mulieribus pietatis necessitudine ductis, ut matri, aviæ, sorori & nutrici. *§. 3. inst. eod. l. 1 §. 7. ff. & l. 6. in f. C. eod.* quæ aliàs regulariter accusare non possunt. *l. 1. ff. de accusat. l. 6. ff. de popul. act.* Item ipsis puberibus. *§. 4. inst. de suspect. tut. l. 7. pr. ff. eod.* quia hi causas in judi- cio agere possunt. *l. ult. inst. qui & quib. ex caus. man. non poss.* Consilium autem propinquorum adhibere debent. *d. §. 4. inst. l. 7. pr. ff. & l. 6. in f. C. de suspect. tut.* ob gravitatem judicii, quo ob dolum condemnatus fit infamis. *§. 6. inst. de suspect. tut. l. 1 §. 7. ff. de offic. præf. urbi.* & temerè ac- cusans graviter interdum puniri solet. *l. 7. pr. ff. de accusat.* Excipiun- tur autem ab hac regula soli impuberes, qui suos tutores non possunt postu-

56.
postulare suspectos. §. 4. inst. de suspect. tut. l. 7. pr. ff. & l. 6. in f. C eod quia
non habent legitimam personam standi in iudicio. l. 1. & 2. C. qui le-
git. pers. stand. in iud. hab. & non nisi finita tutela id est post pubertatem,
adversus tutorem agitur. l. 4. ff. de tut. & rat. distrab. tum quia impube-
res plerumque verum officium tutorum suorum non satis intelli-
gunt, sed salutarem severitatem odio, & perniciosam assentationem
amore prosequuntur. Balduin. ad §. 4. inst. de suspect. tut. Obrecht in disp.
de patroc. pupill. thes. 743. & seq. & denique, quia tutor patris loco est,
qui non nisi maturo iudicio accusari & removeri debet. Harprecht.
disputat. 8. thes. 19. lit. a.

Hæc sunt, quæ in hac materia, satis alio-
quin diffusa, pro ingenij mei exiguitate ty-
rocinia facere volui. DEO TRINUNO
sit honor, laus & gloria.
A M E N.

F I N I S.



Præstantissimo Politissimoq; Dn. RESPONDENTI.

Q. Uanti Artes facias, quanti certamen honoris,
Leges & quantâ sedulitate colas,
Arguet in doctâ doctum certamen arena,
Arguit ingenio pagina nata tuo.
Ut videare, annus si verterit unus & alter,
Laturus studiis præmia digna tuis.

*Benevoli affectûs concessandi ergo
apposuit*

Andreas Berckelmann/
Helmstadio. Brunsvigius.

EXarat ut cupidus fragili rate navita lucri
Campos cœruleos, nec pertinet æquora ventis
Abruptis turbata; sed æstibus abiecte volvi
Gestit: ut ingentes sibi comparet æris acervos.
Talis amice tibi sic mens operæ sedet altæ:
Inclita jurisonæ penetras sacraia Divæ,
Conditæ quæ satis est & cedere nescit inertæ.
Ut gnævum mellis fœcunda manere colonum
Assolet, & segetes lentus non carpere lætas;
Sed cœlo immitti pressus si vertere perstat
Terram, proventu quit divite messe beari.
Sic patet illa, docens solertem solvere nodos
Juris: Rumpenti tibi jam sublimia, monstrat
Quam per difficiles ducat sua semita calles
Cultores æqui; quàm per gravis, aspera merces
Attamen & dulcis solvi nolit nisi fessis,
Te quare tenuit sudor nec dira minantis
Quæque furor Martis pepulit, quin tendere nervos
Nolles mentis, & assiduo firmare labore
Pectus. Sic urge. Sedem cui ponit honoram
Curia, non mittet se se patrona sequentem
Cultu; sed medio te bellorum afferet igni.

*Amicitia testanda & familiaritatis ergo, Prestantiss.
juxta & eruditione claro posuit Amico & Com-
mensali suo*


**Sigismundus Klein,
Regiomont. Borussiae.**

X 2615889

VD 17







DISPUTATIO JURIDICA.
DE
TUTELA ET CURA,
ad methodum Inst. J. Civ.
tractata.

39

Leip. xx

1643, 6.

QUAM
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO,
VIRI Consultissimi & Excellentissimi
DN. JOANNIS REBHAN, U. J. D.
ET INSTIT. IMP. PROF.
ORDIN. h. t. Colleg. Juridic.
DECANI.

PUBLICÈ examinandam proponit
HENRIC-CHRISTOPHORUS *Stoll*
Gottingâ-Saxo.

In Auditorio Jctorum,
ad d. Octobr. ab 8. matutinâ.



ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS REPPIL

ANNO M. DC. XLIII.

